

insuper refert; Pseudo-Evangelium Infantiae Salvatoris (vetustissimum quidem opus) refert, fugientem cum puero Jesu Virginem, et sanctum Josephum in Aegyptum, incidisse in turmam latronum resolutam in somnum, duobus tantummodo vigilantibus, e quibus alter in necem peregrinorum sese accingebat sed a socio prohibitus est. Tunc puer Jesus ore fatidico prænuntiavit ambos illos latrones agendos esse secum in cruce, alterum autem ex illis recipiendum in paradiso; depellendum alterum ad inferos. Hæc ille ad litteram.

(4. An autem ambo hi latrones, bonus et malus, blasphemaverint in cruce Christum, aut solus malus, videntur non convenire inter se evangelistæ, Matthæus enim cap. xxvii, et Marcus cap. xv, narrant Christum ab utroque latrone fuisse maledictum, idipsum autem, et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperebant ei; et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei. Lucas autem cap. xxiii asserit solum malum latronem blasphemasse eum, et fuisse reprehensum a bono, qui postea Christum rogavit ut, cum ad suum pervenisset regnum, memor esset sui: *Unus autem ex his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens: Si tu es Christus, salvum fac te ipsum, et nos. Respondens autem alter increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus, hic vero nihil mali gessit; et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum; et dixit illi Jesu: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Ast S. Hieronymus in cap. xxvii Matth. ostendit quod nihil inter se discrepaverint evangelistæ, dicens, quod in principio uterque quidem latro convicia et maledicta in Christum conjecerit, sed postea bonus latro, ut vidit solem obscurari, tremefieri terram, et saxa dirumpi, resipuerit, ibi: « Non quod discrepent evangelistæ, sed quod primum uterque blasphemaverit, dehinc, sole fugiente, terra commota, saxisque disruptis, et ingruentibus tenebris, unus crediderit in Jesum, et priorem negationem sequenti confessione emendaverit. » Sanctus autem Augustinus lib. iii De consensu evangelistarum alio modo eos conciliat. Dicit enim quod Matthæus et Marcus adhibuerint modum loquendi in Sacra Scriptura satis frequentem, ubi sæpe pluralis pro singulari numero ponitur, ut patet in Epistola ad Hebræos: *Cluserunt ora leonum*, et tamen de solo Daniele ibi est sermo: *Secti sunt*, et tamen refertur ad solum Isaiam; et psal. ii: *Astiterunt Reges terræ, et principes convenerunt in unum*, quæ de Herode, qui erat rex, et de Pilato, qui erat princeps, intelliguntur, ut patet ex Act. Apostolorum cap. iv, n. 6, et hæc S. Augustini opinio communius sequitur a sacris interpretibus, ut testatur scriptor Synopsis critic. sacr. in Matth. cap. xxvii, pag. 677, ibi: « Pluralem numerum usurpari, ubi unus e multis, sed indefinite indicatur, veteres novique interpretes

monuerunt. » Sicque tenet peritissimus card. Lambertin. Benedictus XIV. De festis D. N. Jesu Christi, part. i, n. 286, expresse dicens: « Atque etiam multo verosimilius est de uno tantum latrone evangelistas loqui, nam qui bonus potuisset latro alterum quod blasphemaret, increpare, si ipse etiam paulo ante blasphemasset? » Ita etiam Cornel. a Lapide in Lucam c. xxiii, vers. 42.

(5. Quo sensu intelligenda sint illa verba *Hodie mecum eris in Paradiso*, variant sacri interpretes.) Sanctus enim Justinus Martyr quæst. 75, 76 et 85, ad orthodoxos dicit quod pro tali paradiso intelligendus sit ille terrestris e quo pulsus est Adam; sed hæc opinio cum petitione latronis non convenit, cum ille non terrestrem paradiso, sed cœlestem postulaverit. Verius tamen sanctus Augustinus epist. 187, alias 37, ad Dardanum tradit, verba illa *Hodie mecum eris in paradiso* non de paradiso interpretanda esse, quia illa eadem die non erat Christus venturus in paradiso, ibi: « Non ex his verbis in cœlo existimandum est esse paradiso, neque enim ipso die in cœlo futurus erat homo Christus Jesus, sed ita esse intelligenda, ut paradiso esset in inferno, quo anima Christi illa die futurus erat ut descenderet. Restat igitur ut, si secundum hominem dictum est: *Hodie mecum eris in paradiso*, in inferno intelligatur esse paradiso, ubi erat ea die futurus secundum humanam animam Christus. » Cui consonat S. Thomas 3 part. quæst. 52, art. 4, ad tertium dicens: « Illud verbum Domini est intelligendum non de paradiso terrestri corporeo, sed de paradiso spirituali, in quo esse dicuntur quicumque divina gloria perfuuntur. Unde latro loco quidem cum Christo ad infernum descendit, ut cum Christo esset, quia dictum est ei: *Mecum eris in paradiso*; sed præmio in paradiso fuit, quia ibi divinitate Christi fruebatur, sicut et alii sancti. » Tirinus in cap. xxiii Luc., n. 43, sic expresse habet: « *Hodie mecum eris in paradiso*, non terrestri Adami, non etiam cœlesti, vel in cœlo empireo, sed generaliter in loco voluptatis, puta in consortio tot myriadum sanctorum patrum, et in clara visione Dei, quæ intuitu mortis Christi, statim atque exspiravit, concessa est omnibus in limbo. » Et Maldonatus in c. xxvii Matth., n. 44, relatis variis ad id interpretationibus, concludit paradisi nomine intelligendum esse Abraham sinum, ubi animæ sanctorum ante ascensionem Christi in cœlum morabantur. Illuc enim illa eadem die Christus descendit, et illuc latronis animam secum conduxit; quod et probat sapientissimus Lamy Harmon. Evangel., lib. v, c. 35, Christi verba sic explicans: « Non modo tui memor ero, cum regnum meum suam plenitudinem consequetur, sed hodie magna tibi afferam solatia, et ad illam te sedem mecum adducam, ubi tranquille degunt animæ Abraham, Isaac et Jacob. » Ita apud nunquam satis laudat. card. Lambertin. Benedict. XIV, loc. cit. num. 289. Et egregie Cornel. a Lapide in Luc. cap. xxii, vers. 43,

ibi: « Certum enim est Christum cum latrone die illo quo obiit, non ascendisse in cœlum, sed descendisse ad limbum Patrum. » Unde S. Augustinus lib. xii De Genesi ad litt., cap. 34, et Maldonat. per paradiso hic accipiunt sinum Abraham; ibique eis visionem divinitatis suæ impertivisse; itaque

LAUDEMUM.

Vide verb. EMPHYTEUSIS, art. 3, a n. 16 usque ad fin.

LAXA PROPOSITIO.

Vide verb. PROPOSITIONES DAMNATÆ, n. 40.

LECTORATUS.

Vide verb. ORDO, art. 1, n. 31 et seq.

LEGATARIUS, LEGATUM.

SUMMARIUM.

1. Legatarius quis sit? — 2. Legatarius, et hæres quis esse non potest. — 3. Imo cessat legatum eo ipso quod legatarius efficitur hæres universalis. — 4. Hoc tamen est intelligendum durante titulo hæreditario, secus isto cessato per restitutionem. — 5. Et hoc quoque est intelligendum, quando unicus est hæres purus et irrevocabilis, qui a seipso legatum obtinere debeat. — 6. Legatarius carnaliter cognoscens uxorem testatoris post ejus mortem indignus est legato. — 7. Legatum dupliciter sumi potest, scilicet vel pro actu, aut dispositione qua res legatur, vel pro re ipsa quæ legatur. — 8. Legatum primo modo sumptum, quid sit? — 9. Legatum secundo modo sumptum, quid sit? — 10. Legatum aliud est profanum, quia est ad profanos usus relictum; et aliud pium, quia est relictum ad usus pios. — 11. Legatum aliud est purum; aliud conditionatum; aliud in diem; aliud sub modo; aliud sub causa, et aliud sub demonstratione. — 12. Legatum purum quid sit? — 13. Legatum conditionatum quid sit? — 14. Legatum in diem quid sit? — 15. Legatum sub modo quid sit? — 16. Legatum sub modo per quid differat a legato conditionato? — 17. Modus sole regulariter exprimi per dictionem *Ut*. Condicio per dictionem *Si*; et causa per dictionem *Quia*. — 18. Et datur ad hoc versiculus. — 19. Legatum sub causa quid sit? — 20. Si talis causa non subsistat, subsistit adhuc legatum factum sub tali causa. — 21. Nisi tamen hæres probet testatorem legatum non fuisse, si causam non subsistere scivisset, vel sit error circa substantiam personæ. — 22. Legatum sub demonstratione quid sit? — 23. Tale legatum sub demonstratione, dummodo exstet res legata, et constet de illa, quam testator legavit, ac persona, cui ligavit, valet, quamvis testator in demonstratione aequaliter erret. — 24. Si autem res, quæ demonstratur, seu exprimitur a testatore, omnino non existat, legatum est nullum. — 25. Si tamen in demonstrata capsula, ve erumena non omnes v. g. designati mille aurei sed quingenti solum reperiantur, valebit legatum quoad istos. — 26. Si vero in falsa demonstratione sit error circa substantiam personæ; vel hæres sufficienter probet legatum non fuisse, si errorem cognovisset, tunc non valebit legatum. — 27. Quodlibet ex supradictis legatis potest fieri nedom in testamento, sed etiam extra testamentum. — 28. Cum hac tamen differentia, quod si sit legatum profanum, et fiat in testamento, requiruntur ad tale legatum regulariter loquendo eadem solemnitates quæ requiruntur ad testamentum, nisi in testamento proposita sit clausula codicillaris; et si tale legatum profanum fiat extra testamentum, quinque requiruntur, et sufficient testes, sive oretus, sive in scriptis sint. — 29. Ad

eos beasse, quare tunc Christus rerum sortem mutavit, fecit enim ut limbus esset paradiso, ut inferi essent superi, et infernus esset cœlum; ubi enim est Christus, ibi est paradiso; ubi est visio Dei et beatitudo, ibi est cœlum. Et cum aliis concordat etiam Hugo Card. in Lucam cap. 25.

legatum autem pium, sive fiat in testamento, sive extra testamentum, sive scriptis, sive solis verbis, sufficiunt duo testes quicumque rationis capaces, etiam femine, vel sola certa notitia ipsius hæredis; vel si in scriptis, sola manus propria testatoris. — 30. Quodlibet ex supradictis legatis de jure civili valet, etiamsi sit factum de re aliena, nec ad testatorem, nec ad hæredem spectante. — 31. Intellige tamen si testator scivit eam rem esse alienam, secus vero si, hoc ignorans, putavit esse rem suam. — 32. Si vero persona cui legata est res aliena sit ita proxima et conjuncta testatori, ut merito præsumatur eam rem adhuc legatum esse, quamvis scivisset esse alienam, valet legatum etiam de tali re aliena, non obstante quod testator putavit esse suam. — 33. Nedom de jure civili, sed etiam de jure canonico probabilis valet legatum rei alienæ. — 34. Quantum vero ad legatum rei alienæ ad pias causas, certum est utroque jure valere. — 35. Si legatum sit pure factum de re aliqua singulari et determinata, ejus dominium verum acquiritur a legatario statim post aditam ab eo hæreditatem. — 36. Ejus tamen dominium fictum acquiritur a legatario statim a die mortis testatoris. — 37. Hinc fructus rei legata debentur legatario a die mortis testatoris. — 38. Incrementum, quod res legata habuit a die testamenti conditi pertinet ad legatum, sicuti etiam fructus, quando per modum incrementi unum quid faciunt cum re legata. — 39. Legatarius non potest propria auctoritate legatum sibi usurpare, aut accipere; aliter amittit totum id, quod propria auctoritate sibi usurpat, aut accipit. — 40. Talis autem amissio legati, cum sit pœna, non incurritur ante sententiam; nec etiam, quando sine culpa ulla legatarius rem acceperat. Et si occulte illam rem accepisset, licet male fecisset, non teneretur tamen in conscientia ad rem restituendam. — 41. Legata debent in foro conscientie hæredes, et executores exsequi quam primum poterunt. — 42. Et hoc stat, quamvis ipsis hæredibus et executoribus concedatur semestre ad implenda legata pia, et annus ad implenda legata profana. — 43. Hinc si cessante legitimo impedimento hæredes, seu executores semel moniti a iudice sive ecclesiastico, sive laico, voluntatem defuncti intra annum non adimplent, perdunt omne id quod eisdem alias ex testamento competit, sive hæreditas, sive legatum sit, excepta legitima in hærede necessario. — 44. Si autem hæredes, aut executores bis moniti ab episcopo, legata ad pias causas, legitimo cessante impedimento, exsequi neglexerint, etiam ante annum privantur commodis ex testamento eisdem alias competentibus. — 45. Et si hæredes, seu executores intra sex menses, cessante legitimo impedimento, legata pia, etiam sine admonitione exsequi negligant, debent postea in pœnam illa re-

stituere cum omnibus fructibus et emolumentis, quæ a tempore mortis testatoris interea percipi potuissent. — 46. Legata pro anima relicta tenentur hæredes sub mortali solvere, non solum per decem annos, sed per totum tempus a testatore præscriptum. — 47. Legatum pium pauperibus in genere distribuendum, debetur præ cæteris pauperibus patriæ testatoris, in qua habebat domicilium. — 48. Inter pauperes patriæ testatoris magis, et prius succurrendum est plus indigentibus, quam minus egentibus. — 49. Si autem adsint pauperes consanguinei, seu conjuncti testatoris æqualiter ac alii indigentes, isti juxta ordinem charitatis præferri debent. — 50. Cæteris autem paribus præferendi sunt illi pauperes, qui sunt meliores, et præsertim illi qui bono communi sunt utilis, ut pauperes Religiosi, dummodo nullos penitus redditus habeant, sicuti Capuccini et Minores de corpore Observantiæ. — 51. Insuper cæteris paribus, similibus legatis sunt succurrendæ pauperes femine præ pauperibus masculis, et præcipue pauperes moniales. — 52. Legatum relictum distribuendum pauperibus in plurali, non potest totum dari uni, sed debet proportionaliter distribui in plures. — 53. Nec de tali legato potest plus dari uni soli quam necessarium habeat. — 54. Legatum relictum pro pauperibus concurrentibus ad portam testatoris, non potest distribui pauperibus infirmis in hospitali. — 55. Legatum distribuendum in usum pauperum applicari non potest presbytero pro missis celebrandis. — 56. Legatum distribuendum in causas pias in genere nulla specificata in particulari, potest applicari ab exsecutore religioso suo monasterio, et a clerico suæ ecclesiæ. — 57. Si autem legatum sit relictum distribuendum in pauperes, non potest a religioso exsecutore applicari suo monasterio, nisi tale, quod nullos penitus redditus habeat. — 58. Legatum si sit relictum distribuendum in pauperes generice, potest a quocunque exsecutore applicari primo, et principaliter in suos conjunctos, dummodo sine fraude sint vere pauperes. — 59. Imo legatum relictum distribuendum generice in pauperes, vel causas pias, potest ab exsecutore applicari partim sibi ipsi, si revera sit pauper, et ejus paupertatem testator ignoraverit. — 60. Adducitur, et solvitur instantia. — 61. Limitanda tamen est supraposita conclusio in casu quo testator, cognita paupertate illius exsecutoris, illi aliquid speciale legaverit. — 62. Et idem est dicendum in casu quo testator alicui pauperi aliquid speciale legaverit. — 63. Legatum relictum dandum pauperibus, nullatenus est dandum malis et otiosis pauperibus nolentibus, cum possint laborare. — 64. Legatum relictum puellis honestis, e. civilibus debetur filie mercatoris et artificis. — 65. Legatum relictum virgini ad effectum nubendi debetur, etiam si efficiatur monialis. — 66. Legatum autem relictum pro monachandis, non potest applicari pro maritandis. — 67. Legatum relictum simpliciter pro puellis monachandis, debetur etiam illis quæ monachantur extra patriam testatoris. — 68. Legatum relictum uxori quandiu viduitatem servaverit, debetur ei si ingrediatur religionem. — 69. Legatum relictum juvenibus dantibus operam studiis legalibus, debetur etiam clerico, seu laico danti operam sacris canonibus. — 70. Legatum præstandum juxta præceptum testatoris in domo tantum, si legatarius fiat religiosus, debetur monasterio. — 71. Legatum relictum pro dotandis puellis, potest dari etiam virgini illi quæ habet dotem, sed non sufficientem, ut commode maritari possit. — 72. Legatum relictum pro maritandis pauperibus, potest dari etiam pauperi nuptæ absque dote. — 73. Legatum relictum virginibus acceptari et retineri potest a puella occulte corrupta, si in foro externo habeatur pro virgine. — 74.

Legatum relictum orphanis, non debetur illis qui carent patre tantum, quando concurrunt orbatu utroque parente. — 75. Tale legatum potest dari etiam pupillis habentibus patres inutiles, quando non concurrunt propriæ orphanæ parentibus orbatæ; secus vero si istæ concurrant. — 76. Item legatum relictum pauperibus viduis, potest distribui habentibus viros inutiles, quoties non concurrant veræ viduæ. — 77. Legatum relictum pro originariis alicujus oppidi, debetur solum illis quæ notæ sunt ibi non casu, sed quando pater domicilium ibi habuerit, aut sit locus ubi pater natus fuerit, aut de jure communi, ubi avus natus fuerit, et nepotes in ejus potestate. — 78. Legatum alicui sub conditione quod nunquam nubat, et semper maneat in statu celibatus, debetur ipsi etiam si nubat. — 79. Legatum relictum alicui sub conditione, quod tali non nubat, si a matrimonio cum tali non abstinuerit, non debetur ei. — 80. Legatum relictum alicui sub conditione, quod nubat tali, adhuc ei debetur, quamvis ipsi non nubat, si per ipsum non stet, quod ipsi non nubat, etc. — 81. Legatum relictum alicui sub conditione, si nupserit, vel liberos procreaverit, est ei dandum, quamvis religionem ingrediatur. — 82. Item tale legatum est dandum legatario, quamvis non ingrediatur religionem, sed manens in sæculo sacros ordines suscipiat. — 83. Dummodo tamen talis clericus usque ad mortem perseveret in clericatu, et tale legatum ad causas pias expendat, et relinquat. — 84. Limitanda tamen est conclusio posita, sub num. 51 et 52, in casu quo de testatoris contraria voluntate aperte constat. — 85. Adducitur et solvitur instantia. — 86. Legatum relictum alicui sub conditione, si religionem ingrediatur, vel clericus fiat, non est ei dandum si non ingrediatur religionem, aut non fiat clericus. — 87. Adducitur, et solvitur instantia. — 88. Legatum relictum regulari in particulari sub conditione quod, quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eum independentem a licentia superioris, non debetur ipsi religioso, sed monasterio, et talis conditio habetur pro non adjecta. — 89. Imo legatum factum regulari, nec momento temporis potest esse apud eum, sed illico acquiritur monasterio. — 90. Et hæc clarius et expressius habentur in Decret. Clement. VIII, pro reformat. regular. incipient. Nullus omnino, sub § 3. — 91. Nec regulares in particulari possunt habere, seu de se retinere legata, præsertim si sint in bonis stabilibus, neque de licentia quorumcunque suorum superiorum. — 92. Imo talis licentia, etiam si esset obtenta ab eorum generalibus qui dicerent eam posse concedere, non excusaret fratres a culpa et pena a Tridentino concilio imposita. — 93. Adducitur advertentia diligenter habenda. — 94. Insuper adducitur conclusio doctissimi Fagnani semper attendenda. — 95. Legatum relictum monasterio, seu conventui bonorum incapaci pro sacristia, valetudinario, vel ecclesiæ pro cera, et oleo, non dicitur irritum, sed debet per syndicum investiri pro adimplenda testatoris voluntate. — 96. Unde legatum relictum minoribus de Observantiæ Reformatis, et Capuccinis pro anniversariis, oleo, lampadibus, paramentis, hostiis, sacristia, ecclesiæ, fabrica, luminariis, sindonibus, linteis, tunicis, bibliotheca, impressione librorum, pane, vino, pitantia, seu pro victu, et vestitu, et aliis necessariis, est ipsis tradendum et solvendum ab hæredibus. — 97. Adducitur ad id decretum sacre Congregationis Rev. Fabricæ, et juxta illius dispositionem ponitur in claris supradictos minores mendicantes S. P. Francisci esse capaces legatorum juxta modum in eodem decreto præscriptum. — 98. Adducitur decretum Congregationis particularis ab Urbano VIII deputatæ. — 99. Adducitur decretum sacre Congregationis fabricæ Sancti Petri de Urbe. — 100.

Adducitur aliud decretum ejusdem sacre Congregationis Fabricæ S. Petri. — 101. Et capacitatem Fratrum Minorum obtinendi et retinendi annua et perpetua legata per modum simplicis elemosynæ expresse comprobant breve Urbani VIII, incipiens *Exponi nobis*. — 102. Tale breve ad omnium commodum hic ad litteram datur. — 103. Et ulterius dictam Fratrum Minorum capacitatem ostendunt varia decreta, quæ dantur, usque ad n. 109. — 110. Insuper dictam fratrum minorum capacitatem expresse demonstrant variæ resolutiones sacre Congregationis Fabricæ, usque ad n. 113. — 114. Et indistincte pro legatis, pro victu et vestitu semper resolvit sacra congregatio boni Regimini, usque ad n. 116. — 117. Item hanc Minorum capacitatem pluries comprobavit sacra congreg. Episcop. et Regular. — 118. Item eandem capacitatem pluries approbavit sacra congreg. concilii. — 119. Ex supra recensitis stat clarum, quod legata relicta fratribus minoribus per modum puræ et simplicis elemosynæ, sustinentur: et eorum syndicus apostolicus tanquam unus de populo potest comparere et implere officium ordinarii, ut demandet executionem testamenti, et adimpleatur ab hæredibus, seu exsecutoribus mens testatoris. — 120. Imo cum hæres teneatur in conscientia adimplere onera et pias dispositiones testatoris, potest etiam cogi per syndicum apostolicum non tanquam unum de populo, sed nomine Ecclesiæ Romanæ. — 121. Plurima alia de capacitatem Fratrum Minorum, recipiendi et retinendi perpetua annua legata per modum puræ et simplicis elemosynæ, remissive. — 122. Domus professæ Societatis Jesu, licet sint vere mendicantes, sunt tamen capaces legatorum, etiam bonorum stabilium: ita tamen si talia bona non sint necessaria, nec opportuna usui domorum professorum, ea vendi debeant, et ex eorum pretio propriis necessitatibus provideri. — 123. Legatum relictum ecclesiæ, quam testator in specie non expressit, adeo ut ignoretur, quam voluerit intelligere, est validum. — 124. Si testator simpliciter nominavit ecclesiam V. G. S. Mariæ, et plures sint ecclesiæ ejusdem nominis, inter quas una sit parochialis, legatum debetur parochiali. — 125. Si autem testator duas habuerit ecclesias parochiales ejusdem nominis, et facultatis, in quibus promiscue et æqualiter recipiebat sacramenta, et nec electione sepulture, nec aliunde discerni possit, de qua parochiali intellexerit, multi ex doctoribus volunt in tali casu legatum esse dividendum inter utramque parochiam. — 126. Multi alii autem tenent in tali casu electionem competere exsecutoribus testamenti, et arbitrio episcopi. — 127. Et hæc sententia est præsertim tenenda, quando legatum est individuum, nec admittit separationem, seu divisionem. — 128. Si vero multæ sint ecclesiæ sub eodem expresso nomine S. Mariæ, et nullo modo appareat, quam testator elegerit, tunc legatum dandum est ecclesiæ pauperiori sub dicto nomine. — 129. Si ecclesia nominata non reperiatur in civitate testatoris, bene vero in ejus diocesi, seu territorio, tunc isti debetur legatum. — 130. Si autem ecclesia nominata non reperiatur, nec in civitate, nec in ejus territorio, tunc legatum debetur ecclesiæ parochiali testatoris. — 131. Legatum relictum v. g. Titio, si duo sint Titii æquali charitate et amicitia cum testatore conjuncti, nec discerni possit quinam ex ipsis fuerit a testatore electus, quamvis de jure civili corrumpat, in foro tamen conscientie tenetur hæres, seu exsecutor illud inter eos dividere æqualiter, si in id consentiant. — 132. Legatum relictum determinate pauperi, si hic moriatur ante solutionem, hæres tenetur dare illud alteri pauperi: aliter tamen esset dicendum, si legatum esset relictum in solum commodum talis determinatæ personæ. — 133. Re-

putatio legati ecclesiæ facti est illicita et peccaminosa, si fiat absque justa causa et sine debitis solemnitatibus, seu sine beneplacito apostolico: et in tali casu tenetur prælatus ad satisfaciendum ecclesiæ, si habeat de proprio unde satisfaciat. — 134. Imo quando prælatus absque justa causa repudiavit legatum ecclesiæ relictum, potest ecclesia exinde graviter læsa petere beneficium restitutionis in integrum. — 135. Legata ad causas pias valent, etiam si testamentum ad causam profanam factum ob defectum solemnitatis civilis corrumpat, dummodo tamen constet de voluntate testatoris. — 136. Imo valent etiam legata profana contenta in testamento absque solemnitate civili condito. — 137. Falcidia et Trebellianica non detrahuntur a legatis ad pias causas. — 138. Pars autem Falcidiæ, quæ non potest detrahi a legatis piis, non est oneranda legatis profanis. — 139. Falcidia non detrahitur ex legatis relictis ecclesiæ. — 140. Neque detrahi potest Falcidia ex iis quæ relinquuntur confraternitatibus, sive cum episcopi auctoritate, sive absque ea institutis. — 141. Falcidia nullimode detrahitur a legatis cum onere missarum, vel pro exoneratione conscientie relictis. — 142. An autem Falcidia sit detrahenda ex legatis piis, quando pia causa, seu ecclesia est instituta hæres? remissive. — 143. Papa potest valide et licite ex rationabili et justa causa commutare legata pia. — 144. An autem papa etiam sine rationabili et justa causa possit commutare legata pia, multi ex doctoribus tenent partem affirmativam. — 145. Plurimi autem alii sustinent negativam. — 146. Et revera si ex tali commutatione lædatur jus tertii, nequit pontifex sine causa id facere. — 147. Quando legatum non potest de jure, vel de facto, impleri in propria specie, potest episcopus de consensu hæredis, seu exsecutoris deputati, commutare illud in alium pium usum. — 148. Imo episcopus de consensu hæredis, aut exsecutoris ex justa causa, aut ex necessitate potest commutare legatum, etiam quando potest de jure et de facto impleri. — 149. Non potest tamen episcopus tale legatum commutare nequidem in melius, etiam de consensu hæredis, aut exsecutoris sine justa et necessaria causa. — 150. Patriarchæ, primates et archiepiscopi ex justa et necessaria causa possunt similiter commutare legata suorum subditorum: non tamen si fuerint suffraganeorum, nisi in casu appellationis. — 151. Cardinales in eorum titulis possunt commutare legata et ultimas voluntates in illis casibus, in quibus possunt episcopi respectu suorum subditorum. — 152. Vicarius capitularis, sede vacante, potest commutare legata in iis casibus in quibus potest episcopus. — 153. Vicarius generalis episcopi, quando ipse episcopus commode haberi valet, non potest commutare legata et ultimas voluntates. — 154. Potest tamen, quando episcopus commode haberi non potest. — 155. Visitatores etiam absque speciali mandato nequeunt commutare legata et ultimas pias voluntates. — 156. Abbates, alique similes prælati habentes proprium territorium, et jurisdictionem quasi episcopalem, possunt ex justa et necessaria causa commutare legata et ultimas voluntates suorum subditorum. — 157. Justæ causæ talium commutationum sunt quatuor in genere, scilicet: causa necessitatis, pietatis, et incommoditatis, aut majoris commoditatis. — 158. Justæ causæ autem in specie plures referuntur: usque ad num. 164. — 165. Legatum magnæ quantitatis missarum una vice celebrandarum commutari, seu converti non potest in erectionem capellanæ perpetuæ. — 166. Legata pro celebratione missarum nunquam patiuntur diminutionem. — 167. Legatum relictum capitulo pro anniversario quotannis celebrando debet applicari mensæ capitulari, et non potest dividi inter capitulares. — 168. Item legatum re-

lictum capitulo, etiam sine expresso onere, censendum est esse relictum mensæ capitulari, et non canonicis uti singulis, nisi aliud ex conjecturis de mente testatoris colligatur. — 169. Item legatum relictum canonicis indefinite censendum est esse relictum capitulo, et non canonicis uti singulis, nisi ex conjecturis aliud de mente testatoris colligi possit. — 170. Quid, si fuerit relictum canonicis

(1. Legatarius est, et dicitur ille cui ab hærede est præstandum legatum, seu res ei a defuncto legata seu relicta. Sic in re communis doctorum. (2. Legatarius, et hæres quis esse non potest; Rota part. v, recent. tom. II, dec. 421, n. 30. p. 13. dec. 209, n. 2; card. de Luca De fideicommiss., disc. 211, n. 2, et de legatis discuss. 58, n. 12, disc. 63, n. 6. disc. 64, n. 3, et alii passim. (3. Imo cessat legatum eo ipso quod legatarius efficitur hæres universalis. Card. de Luca De fideicommiss. disc. 211, num. 2, et De legatis disc. 64, per totum. (4. Hoc tamen est intelligendum durante titulo hæreditario; secus isto cessato per restitutionem. Card. de Luca De fideicommiss. disc. 131. sub n. 12, et De legatis, disc. 364, sub n. 3. (5. Et hoc quoque est intelligendum quando unus est hæres purus et irrevocabilis, qui a se ipso legatum obtinere debeat, cum tunc intret ratio incompatibilitatis ob concursum passionis in eodem subjecto, incompatible est enim, quod idem sit hæres et legatarius, ac debitor, et creditor: secus autem quando habet cohæredes unum, vel plures, a quibus potest assequi legatum citra dictam incompatibilitatem, ut aliis relatis firmatur apud Burat. dec. 643 n. 2, et seq. et dec. 421, num. 31, part. v, t. II, et dec. 229, n. 26 et 27, p. 10 rec. sic expresse card. de Luca De legat. disc. 64, n. 3. (6. Legatarius carnaliter cognoscens uxorem testatoris post ejus mortem, indignus est legato, et sic applicatur fisco, quia si vivo defuncto hoc fecisset, ipsum ad iracundiam provocasset, nec ei tanquam indigno legatum reliquisset, adeoque et c. Glossa in L. Sororem in fin. Cod. De his quibus ut indign. ; Fagnan. in cap. *Ut nobis* 28, De sentent. excommunic. n. 18, et alii.

(7. Legatum dupliciter sumi postest, scilicet vel pro actu, aut dispositione, qua res aliqua legatur, vel pro re ipsa, quæ legatur. Communis. (8. Legatum primo modo sumptum est donatio quædam a defuncto relicta, et ab hærede præstanda; § 1 Instit. de Legat. (9. Legatum secundo modo sumptum est res aliqua particularis verbis ad legatarium directis a defuncto relicta, et ab hærede præstanda. Est in re commun.

(10. Legatum aliud est profanum, quia est ad profanos usus relictum; et aliud pium, quia est relictum ad pios usus, et animæ suffragium, ut ad legendas missas, ad celebranda officia, ad subveniendos pauperes, et hujusmodi.

(11. Legatum aliud est purum, aliud conditionatum, aliud in diem, aliud sub modo, aliud sub causa, aliud sub demonstratione. Communis. (12. Legatum purum est illud quod fit simpliciter absque ullo adjecto tem-

legatum magnæ et notabilis quantitatis pecuniæ pro missis celebrandis? — 171. Legatum relictum ecclesiæ, debetur totum illi: nec episcopus, nec rector, aut capitulum potest aliquid præterdere. — 172. Si legatum relictum sit episcopo, seu rectori alicujus ecclesiæ, cui debeatur? Cætera ad rem ad n. 185. Subnectuntur additiones Casinenses.

pore, conditione, vel modo, § Omnis 2 Instit. De verbor. oblig. (13. Legatum conditionatum est illud quod fit et relinquitur præstandum solum sub certa conditione de præterito, præsentis, vel futuro; unde sub conditione de præterito fit, quando testator dicit: « Lego Petro mille aureos, si navis auro et argento pro me onusta jam ex India tuto advenit: » l. Conditio in præteritum 110, De verbor. obligat. Sub conditione de præsentis fit, quando testator dicit: « Lego Petro mille, si adhuc vivit: » l. Cum ad præsens 37, ff. De rebus creditis, si certum petatur. Sub conditione de futuro fit, quando testator dicit: « Lego Petro mille, si navis ad me directa auro et argento onusta tuto pervenerit, » et hujusmodi: arg. § Sub conditione, Instit. de verbor. obligat. et l. Itaque, ff. de condit. et demonstrat. (14. Legatum in diem est illud quod fit, et relinquitur præstandum certo post mortem testatoris determinato tempore, v. gr. quando testator dicit: « Lego Petro mille aureos eidem tradendos mense post meam mortem elapso: » argum. tot. tit. ff. Quando dies legat. cedat, et § Omnis 2 Instit. de verbor. obligat.

(15. Legatum sub modo est illud quod fit, et relinquitur cum certo aliquo modo, onere, gravamine vel moderamine, v. g. quando testator dicit: « Lego Petro mille aureos, ita tamen ut de ipsis erogat quinque singulis annis pauperibus, vel faciat celebrare centum missas, » et hujusmodi: arg. tot. tit. Cod. de Donat. quæ sub modo. (16. Et legatum sub modo differt a legato conditionato, quia legatum conditionatum suspenditur usque ad purificationem conditionis, et inde evanescit, si ante conditionis adimpletionem legatarius moriatur, ut ex variis juribus notat Glossa communiter recepta in cap. *Verum* 4, De conditionibus appositis. Econtra legatum sub modo, statim valet, et transmittitur cum onere ad hæredes, si per istos æque ac per legatarium modus impleri possit, ut recte advertit Glossa loc. cit. argum. l. 1, § 3. Cod. de donat. quæ sub modo, et communis doctorum. (17. Modus autem solet regulariter exprimi per dictionem *Ut*, conditio per dictionem *Si*, et causa per dictionem *Quia*, ut notat Glossa in. cit. cap. *Verum*; verb. *Conditione*, in fine, ubi adducit sequentem versiculum:

(18. Scito quod *Ut* modus est, *Si* conditio, *Quia* causa.

(19. Legatum sub causa, seu ex certa causa, est illud quod fit, et relinquitur cum expressione causæ, ob quam præsentem, vel præteritam, tale quid alicui legatur, v. gr. quando testator dicit: « Lego Petro mille aureos, quia mihi fideliter inservivit, quia

me a tali mortis periculo liberavit, » et hujusmodi: arg. l. demonstratio falsa 17, et l. cum tale 72, § Falsum 6, ff. De condit. et demonstrat. (20. Et si talis causa non subsistat, subsistit adhuc legatum factum *sub tali causa*; quamvis enim Petrus non inservierit fideliter testatori, vel non a tali mortis periculo ipsum liberaverit, legatum adhuc valet, § Longe 31. Instit. de legat. ibi: « Legato falsa causa adjecta non nocet. » et concordat l. Demonstratio 17, § Quod autem, et l. Cum tale 72, § Falsum 6, ff. De condit. et demonstrat. ibi: « Falsa causa legato non obesse verius est, » addita ratione, quia ratio legandi legato non cohæret.

(21. Nisi tamen hæres probet testatorem legatum non fuisse, si causam non subsistere scivisset, vel sit error circa substantiam personæ, quia tunc non subsisteret legatum, arg. l. Cum tale 72, § Falsum 6, ff. De condit. et demonstrat. l. Si Pater 4, et l. Quoties 9, princ. ff. De hæred. instit., cum similibus.

(22. Legatum sub demonstratione est illud quod fit, et relinquitur cum expressione seu demonstratione alicujus circumstantiæ, signi, vel accidentis circa rem legatam, vel personam, cui legatur, v. g. quando testator dicit: « Lego Petro mille aureos, qui sunt in tali mea capsula, in tali mea crumena, vel quos Paulus mihi debet, » et hujusmodi: arg. l. Demonstratio falsa 17, De condit. et demonstrat. (23. Tale legatum sub demonstratione, dummodo exstet res legata, et constet de illa, quam testator legavit, ac persona, cui legaverit, valet, quamvis testator in demonstratione alicqualiter erret; ut si testator dicat: « Lego Petro notario, Petro causidico, agrum A., fundum B., mihi donatum a Paulo, » quamvis Petrus non sit notarius, nec causidicus, nec testator dono acceperit a Paulo illum agrum A., et fundum B. dummodo adsit talis Petrus, et talis fundus, et constet aliunde testatorem de tali Petro, et agro, seu fundo sensisse, valet legatum; non obstante tali testatoris errore; textu aperto in cit. l. Demonstratio falsa 17, princ. ff. De condit. et demonstrat. et § 1, ff. eodem, ubi expresse dicitur quod demonstratio falsa, sive sit circa rem, sive circa personam, non obsit legato; et concordat l. Quibus diebus 40, ff. eod. et l. Proxima 30. Instit. de legat.

(24. Si autem res quæ demonstratur, seu exprimitur a testatore, omnino non existat, v. g. quando testator dicit: « Lego Petro mille aureos, qui in tali capsula, vel tali crumena sunt, et ibi nullæ pecuniæ reperiantur, » legatum est nullum, textu expresso in l. 1, § Sed et si dotem 7, ff. De dote præleg., ibi: « Nam si quis ita legaverit centum, quæ in arca habeo, vel quæ ille apud me deposuit, si nulla sunt, nihil deberi constat, quia nulla corpora sunt. » Item si testator dicat: « Lego Petro centum aureos, quos mihi debet Paulus, » non valet legatum, si Paulus nihil debeat testatori, textu expresso in l. Si sic 73, ff. De legatis ibi: « Si mihi quod Titius debet, fuerit le-

gatum, neque Titius debeat, sciendum est nullum esse legatum. » (25. Si tamen in demonstrata capsula vel crumena non omnes designati mille aurei, sed quingenti solum v. g. reperiantur, valet legatum quoad istos: sicuti si Paulus non debeat testatori centum aureos, sed solum quinquaginta, valet legatum quoad hos quinquaginta; textu expresso in l. Si servus 108, § Qui quinque 10, ff. De legatis, ibi: « Qui quinque in arca habebat, ita legavit decem, quæ in arca habet, legatum valet, ita tamen ut sola quinque ex testamento debeantur. »

(26. Si vero in falsa demonstratione sit error circa substantiam personæ, vel hæres sufficienter probet testatorem legatum non fuisse, si errorem cognovisset, tunc non valet legatum; arg. l. Cum tale 72, § Falsum 6, ff. De condit. et demonstrat., leg. Si pater 5, et l. Si quoties 6, princ. ff. De hæred. instit. cum similibus.

(27. Quodlibet ex supra recensitis legatis potest fieri, nedum in testamento, sed etiam extra testamentum. Communis ac certa, arg. l. 1, ff. De jure codicill. et l. Ex testamento 20. Codic. de fideicommiss., cum similibus: cum hac tamen differentia, quod si sit legatum profanum, et fiat in testamento, requiruntur ad tale legatum, regulariter loquendo, eadem solemnitates, quæ requiruntur ad testamentum, nisi in testamento apposita sit clausa codicillaris. Textu expresso in l. 1, ff. De jure codicilli, et l. Ex testamento, 29. C. de fideicommiss. Et sic communis doctorum. (28. Et si tale legatum profanum fiat extra testamentum, seu sine testamento, quinque requiruntur et sufficiunt testes, sive oretenus, sive in scriptis sint, textu expresso in l. final. § final. C. de Codicill. ibi: « In omni autem ultima voluntate, excepto testamento quinque testes debent adhiberi. » (29. Ad legatum autem pium, sive fiat in testamento, sive extra testamentum, sive scriptis, sive solis verbis, sufficiunt duo testes quicumque rationis capaces, etiam feminae, vel sola certa notitia ipsius hæredis, vel si in scriptis, sola manus propria testatoris, quia ad dispositionem pro causa pia penitus nulla requiritur juris dispositio, sed tantum ut constet de voluntate testatoris. Communis ac certa; arg. cap. Relatum 11, De testamentis, cum similibus.

(30. Quodlibet ex supradictis legatis de jure civili valet, etiamsi sit factum de re aliena, nec ad testatorem, nec ad hæredem spectante. Communis textu expresso in § Non solum 4, Instit. de Legat. ibi: « Non solum autem testatoris vel hæredis res, sed etiam aliena legari potest, ita ut hæres cogatur redimere, vel si eam non potest redimere, æstimationem ejus dare. » (31. Intellige tamen si testator scivit eam rem esse alienam, secus vero, si hoc ignorans, putavit esse rem suam, textu expresso in cit. § Non solum, ibi: « Quod autem diximus alienam rem posse legari, ita intelligendum est, si defunctus sciebat rem esse alienam, non si ignorabat, addita ibi ra-